

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Prorector Academiae Fridericianae Ioannes Sperlette,  
Consiliarivs Regivs, Philosophiae Moralis Ac Civilis P.P.O.  
Nec Non Coloniae Gall. Director, vna cum Professoribvs  
Reliqvis, Civibvs Academicis ...**

**Sperlette, Johann**

**Halae Magdebvrgicae, [MDCCXV?]**

**VD18 12385573**

[Prorector Academiae Fridericianae Ioannes Sperlette, Consiliarivs Regivs,  
Philosophiae Moralis Ac Civilis P.P.O. Nec Non Coloniae Gall. Director, vna  
cum Professoribvs Reliqvis, Civibvs Academicis ...

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15677**

**A**liquoties, CIVES, ex *Actis Apostolorum* testimonium resurrectionis Dominicæ recolendum dedimus paschali tempore. Idem denuo ex fine eiusdem libri, qui primum merito locum tenet post euangelia, præstare aggredimur; sed non sine ardentissima imploratione gratiæ ac benedictionis diuinæ, ad dispellendas omnes tenebras. Si enim causa mortis Christi non firma sit in cordibus, quis, quæso, procedat digna cum efficacia ad fidem resurrectionis. Act. 2, 24. 27. In idem ille cum Iudæis & Ethnicis incidet cæcitatibus atque circumuagationis barathrum miserrimum. Id quod ex confabulatione illa patet, quam Porcius Festus, nouus Iudææ præses Romanus, cum Herode Agrippa Rege de sacris rebus, deque motibus in Iudæa religionis causa, instituit. Actorum c. XXV & XXVI. Is cum multa dixisset de Romana iniustitia, quam quidem ipsam languide satis administravit, addit non sine contemptu, tulisse ad se Iudæos quæstiones quasdam de sua superstitione, & de IESU QVODAM MORTVO, quem VIVERE affirmet Paulus. c. XXV. v. 19.

Etsi vero abiectius tractabatur causa Christianismi: non permisit tamen Deus Opt. Max. qua est indulgentia ac misericordia, ut ipse ille nouus Iudææ præses, alii que secum, essent absque congruentioris Apostolici testimonio. Ipse sibi gratulatur Apostolus de data saltem aliqua loquendi facultate coram Agrippa, cognomento Minore, tanquam (\*) gnaro omnium inter Iudæos consuetudinum atque quæstionum. c. XXVI. v. 3.

Extenta ergo manu cœpit Paulus rationem reddere, prouocans publice ad vitæ suæ ἀρετήν, qua a puero probauerit, curæ sibi utique cordique semper fuisse veræ religionis negotium; imo inde se ipsum, etsi per incitiam, sinistro exarsisse zelo aduersus nomen IESU NAZARENÏ; nec adeo quenquam e Iudæis, contribulibus suis, præsumere iuste posse, ac si leuiter aut temere suscepisset euangelion; iterum vero se iterumque profiteri, quam singulari vi ac via gratiæ aduersus se, in medio Christianos persequendi æstu, conuertendum, opus fuerit; in commune tamen bonum aliorum; vnde se non immorigerum extitisse cælesti voluntati, ad hæc vsq; quibus constrictus adstet, vincula.

Vide-

(\*) Etiam istud res erat dispositionis & directionis diuinæ. ἢ ἡ τῆς οὐρανῶν διοικήσεως. Chrysost. h. l. conferri meretur Origenes L. 3. c. Cell. sub initium, & porro p. 92. sq. 130. 135. sq. 329. edit. Cantabr.



Videtur forsan recitatio hæc mere historica adhuc esse primo conspectu, necdum apta satis ad rem tantam, vtrisque tam nouam, tamque abstrusam, propius paulo adducendam, insinuandam atque instillandam. Verumenimvero, si recte attendamus, obseruabunt omnes, substerni omnino fundamenta rei propositæ maxime idonea. Radicatur nempe tota Apostoli ad Agrippam oratio, in primitiua illa spe perpetuæ promissionis, ad Patres factæ a Deo, per multos abhinc gradus, ab ipsis temporum exordiis; ob quam ipse nunc sistatur iudicandus; in quam duodecim tribus Israelis ipse noctuque diuque deseruientes toto suo cultu religioso, intensissime & instantissime sperent perungere, siue ad metam promissionis peruenire.

De hac spe, inquit Paulus statim sub sermonis sui initium, accussor a Iudeis, Rex Agrippa. v. 6. 7. (c. XXVIII, 20. 16. 23.) Ad has itaque lineas, ad hos fontes, in Israele olim tam sancte custoditos, & quasi notorios, reducenda & innectenda est tota causa, quæ me inter & Iudæos nunc versatur. (c. XIII, v. 32, 34, 35.) Ab hoc capite, longe iam diuque per tot seculorum labores præstructo, assertis meis iungendo candide, sanum tibi iustumque iudicium petendum est. Aut prolabendum obstinate in ἀπιστίας profundissimam voraginem, si omnem illam compagem neruorum velimus dimittere, dissoluere, procul hinc totam abiicere. Itane vero ἀπιστον iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitatur. v. 8. (c. XXIV, v. 14, 15, 22.) Ipsam hanc thesin generalem eum oportebit tandem velle subruere, qui tam præceptis sibi sumit iudicium in summum caput huiusce θεσεως. Aut quis vestrum possit hoc adeo respuere, qui vel generalem illum articulum serio secum digesserit firmumque reddiderit.

Eandem ἔστω fundamentalem inculcat Apostolus denuo verbis aliis, iisque conceptissimis. v. 22, 23. non se quicquam dicere extra ea, quæ tum ceteri propheta locuti fuerint futura (implenda suo tempore) tum & Moses, annon PASSVRVS fuerit promissus ille Christus (Messias, iam exhibitus) annon idem hic, tanquam primus ex RESVRRECTIONE MORTVORVM (ipsa lytri virtute) lumen (vitæ reparatæ) annunciaturus populo (Iudaico) pariterque gentibus vniuersis. In hanc ergo arbitrii communem regulam se lubenter imo enixe compromittere; bono ipsarum gentium; sicque etiam Festi, qui præfens sit suus e Romana gente iudex.

Festus equidem, apostolo hæc apologiæ loco proloquente, magna voce in clamauit, insanire Paulum; multas ipsum literas in ma-



nian circumagere. Sed (\*) decenter hic protestatus, se verba *veritatis & sanitatis* proferre; scire de his Regem, ad quem eo confidentius loquatur, quod nihil eorum latere eum sciat; neque enim in angulo gestum esse. (\*\*) *Credis, inquit, Rex Agrippa, PROPHE-TIS; noui, quod credis*, saltem in tantum conuictus; ad *Prophetarum* rursus concentum omnia sua, quæ noua apparebant, quam constantissime referens.

Obseruandum præterea, vno ibidem narrationis tenore apostolum recitare verba ipsius Domini IESV de missione sua, ad *aperiendos oculos gentium, conuertendo a tenebris (mortis) in lucem (vitæ nouæ) & de potestate SATANÆ* (cuius mancipia fuerant) *ad DEVM, ad capeffendum* (ita) *ipfos remissionem peccatorum, & sortem in sanctificatis fide illa* (defixa) *in ME, τῆς εἰς ἐμέ*, inquit Saluator, vt Saluator & Redemptor. v. 18. Se itaq; Paulum, nuncium sic egisse inter gentes, vt misso sopore veteris securitatis *pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes*, digna oblati tantis ex tanta redemptione beneficiis. v. 20. Scilicet mortuus est Dominus, & surrexit rursus a morte, non, vt spectaculum nouum aut opus quoddam insolitum ac prodigiosum ex abrupto ederet, sed nostræ ex morte redemptionis acquirendæ & applicandæ causâ. SATANÆ potestatem nudus homo tollere non potuit. Et ea tamen tolli iuste debuit in salutem hominum, ita vt, quod iustum esset, præstaretur in humana natura, sicque præstatio iuste deriuari posset ad homines. Inde talis redemptio DEI opus maximum. Miser mortalium status, qui negari non potest, quem quisque habet intimum, sibi que intime conscius, id poposcit, adeoque res est ad nos pertinens, rerum in nobis ipsis habens testimonia vrgentissima, quæ non ita aliena videri vlli debeat. Ita sensim verba hæc non resistenti fiunt in corde, sub inuocatione gratiæ, *verba veritatis*, vti ea sunt in se, & *verba sanitatis*, imo accendunt curam seriam veritatis liberatricis, redduntque animum sobrium, sollicitum, & resurrectionis nouæ cupidum. v. 25. (Eph. V, 14. I, 18-20. 2. Tim. II, 26. 8.) Iis autem, qui domesticas has considerationes profus repudiant; nec nisi abstractim & seorsum de Christi morte & resurrectione audiunt: verba hæc male sana portenta videri quid mirum?

Hinc

---

(\*) Brent. h. 1. & Act. 3, 17. c. 7, 2. (\*\*) Ὁ λογισμὸς ἀπὸ πραγμάτων τῆς οὐκ ἐπιβεβαιωμένης γέγονε δόγμα. Chrysoft. h. 1. & Luc. I, 4. τὸ μαρτύριον καιρῶς ἰδίῳ 2. Tim. 2, 6. πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν. *ibidem* c. 1. v. 16. 17.

Hinc concludi debet, potuisse ipsum Festum, quantumvis ethnicum, nisi restitisset, liberari ab illo somno mortis, ex quo trahebat vagum suum & fugitium fastidiosumque dicitur de IESU QVODAM MORTVO. Præcesserat Cæsareæ exemplum haud contemnendum Cornelii, ex cohorte Italica gentis suæ. c. X. exemplum item Proconsulis Sergii Pauli, *virî prudentis*, vt expresse legitur c. XIII. v. 7. sequente postea Clemente Romano aliisque.

At Festus qui primum statim finxerat ἀπορίαν (c. XXV. v. 20. 9.) iam maiore damno suo videt ipsum hospitem magis *gnarum*, Regem Agrippam, cum suo, vt ait, *modico* surgentem vna, & auersa secum facie subito quodam raptu abrumpentem colloquium. c. XXVI. v. 28. 29. 30. sq. c. XXIV. v. 25. 26. Ioh. XVIII. 37. 38. Luc. XXIII. 11. 12. VII. 9. 7. 19. Matth. XXVII. 19. 22. 24. 25. 64. sq. XXVIII. 4. 11. sq. Sap. II. 1-22-25. 1. Cor. XV. 33. 34. 19. 17. Quadrat huc illud ex Tertulliani ad Romanos antistites apologetico sub initium: *non libet (his) propius experiri. Hic tantum torpescit humana curiositas, & erubescit inquirere. Amant ignorare, cum alii (ad Christum conuersi) gaudeant cognouisse. Non ergo potes dementiam dicere, quod reuinceris ignorare.*

Quid Paulus ad hunc inter homines euentum? Diu iam ipsi compertum erat atque exploratum, quo veterno marcescant miseri homines sibi relictî; quibus concupiscentiarum vinculis omnes constricti, totque aliis rebus huius vitæ obruti, ac sepulti volentes. Sed & ex sua parte quam certissimus erat de beato statu in agnitione huius Saluatoris, quem iam exhibitum annunciauerat. Ideo dixit Agrippæ, cum ad finem dicendi inclinaret: *Optarim a Deo non solum modica ex parte (qua me ais persuadere tibi, vt fias Christianus) verum etiam magna, non te modo, sed omnes etiam, qui me audiunt hodie, tales euadere, qualis & ego sum, exceptis his vinculis.* Act. XXVI. 18. 29. Et alibi: *si infidi sumus, ipse (tamen Dominus, in quo vincetus sum) fidus manet. Negare seipsum non potest. Nouit Dominus eos, qui sui sunt.* 2. Tim. II. 8. 13. 19. *Ob quam causam etiam hæc patior, sed non erubescō. Scio enim, Cui credidi. ibidem c. I. 7. 10. 12.*

In martyrio Clementis Romani, cuius iam meminimus, legitur, Mamertinum Urbis Præfectum, ad eum dixisse inter alia: *e nobili radice prodiisti, teste nobis Romano populo, sed non fert*

se populus Romanus, quia nescio (\*) QVEM Christum colis, & contra Deos, qui in nostris coluntur templis, suscipis. Respondisse martyrem: quærat silentii occasio, quo incipiat homo, mentis particeps, consultare apud se ac disquirere pro salute sua, quo verum Deum inueniat, CUI fidem suam decenter commendet. Ad-  
dito hoc submisit, se optare Præfecto prudentiam attendendi probe ad ἀπολογία; accusasse se populum non propter seditionem imperitorum, sed propter doctrinam ipsam.

Habet omnino religio Christiana rationes suas spirituales, id est, certa & solida sui generis fundamenta, si quis modo dignetur probe secum attendere pro dignitate rei ipsius tam arduæ, sine dolosa cunctatione & carnali tergiuersatione. Laudantur Beroenses, tanquam εὐγενέστεροι, seu melioris indolis homines, quod susceperunt verbum cum omni auiditate & applicatione mentis ita, vt quotidie a capite quasi ad calcem inquirerent ex scripturis in ea, quæ Paulus proposuerat de passione & resurrectione Christi, quia subacta eiusmodi ἀνάγκη non præiudicat viæ fidei, sed ad fidem gignendam & fouendam potius conducit; præuia ipsa luce solius fidei, diuinitus oblata. Act. XVII, 3--II. 12. Eodem quoque loco fides describitur, tanquam fructus iustæ immorationis, siue τῆ κολληθῆναι; aliis modo noua QVÆDAM auribus obtrudi suspicantibus. v. 18-20-23-32. Sicque Paulus exiuit de medio eorum, v. 33. Satis enim indultum temporibus ignorantie, v. 23. 30. 31.

Hac certe attentionis sobriæ via sola, obtinetur læta conscientia, euentuumque omnium æquanimis tolerantia, superantur larvæ ac terculamenta mundi, eaque Christianis sunt thesaurus incomparabilis, quæ corrupto seculo horrida sunt (\*\*\*) & ἀπίστα.

Do-

(\*) Similia inuenias in martyrologio Theodoriti Presbyteri Antiocheni, Victoris Masiliensis, Theodoti Ancyran, Andronici nobilis Ephesii, aliorumque.

(\*\*) Traianus Imp. ad Ignatium: CVINAM festinas te ipsum immolare? EINE, qui a Pontio Pilato in crucem fuit actus? Imo, inquit Ignatius, EI qui peccatum crucifixit, eiusque inuentorem destruxit, & omnem eius potentiam per crucem aboleuit. Traianus: quid vero sibi vult illud tuum nomen, Theophorus? Martyr: qui Christum circumfert in anima. Imperator: tu ergo in te ipso Christum circumfers? Martyr: Etiam. Scriptum enigmata est: inhabitabo in ipsis, & inambulabo. Traianus sententiam

*Domine, ad QVEM (alium) ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. Joh. VI, 67-70. 62. 57. VII, 46-53. 27. VIII, 25. 51-55. IX, 29-33-41. XIV, 5-8-19-22. ut permanendum omnino sit in iis, quæ didicimus, & quæ credita sunt nobis, quia scimus, a QVO didicerimus. 2. Tim. III, 14. 15. I, 12. 10. II, 9. 8. Luc. VII, 19-23. 24. enutriti verbis fidei & bonæ doctrinæ, exercentes pietatem, quæ promissionem habet vitæ & eius, quæ nunc est, & futuræ. 1. Tim. IV, 6-9. 10.*

Equidem datur tempus, quo ipsi probi variis fluctuationibus obruuntur, ut non certi esse videantur, sed animo prorsus pendere cogantur, *συνερωτοι* quandoque Luc. XXIV, 17-19-21. II. Joh. II, 22. 12. 16. XX, 9. Hi tamen nunquam volunt vagari, aut in adscita caligine acquiescere per neglectum quendam, ex amore rerum huius seculi. Æthiops ille, legens caput LIII. Esaiæ, hærebat in eo, an Propheta loquatur de se, an de ALIO ALI-QVO? Obsecrans autem Philippum interpretem, testabatur verum desiderium; quo & mox adimpleto gaudere licebat. Act. VIII, 30-33. 34-39. Ipse Saul, cum in via Damascum versus humi iacens quæreret: QVIS es, Domine? iam iam incipiebat animum suum Christo dedere. c. XXVI, v. 15. Veritas non consistit cum tenebrarum studio, aut incerti *ἀδιαφορία*, sed tota protendit ad lucem. *Quem me dicunt esse turbæ?* sciscitatur Iesus ex discipulis. *Iohannem Baptistam*, hi respondent, *alii Eliam*, *alii, quia vnus aliquis propheta de prioribus surrexit.* Vos autem, notanter pergit optimus Saluator, *Vos autem, quem Me esse dicitis? Christum Dei*, respondit omnium commilitonum nomine Simon

---

tiam pronuncisuit: Ignatium, qui in seipso crucifixum ferre dicit, precipimus vinctum duci. Martyr cum lætitia suscipiens vincula, gratias agit Domino, qui dignum se fecerit cum Apostolo suo Paulo vinculis alligari.

Iuliani apostatæ sarcasmos, quoad argumentum præsens, reperias in editione Spanhemiana P. 2. f. 194. 159. 281. 250. 335. 340. 346. 191. 206. de Cornelio & Sergio, quos proterue contemnit.

Ad textum Act. XXVI, 9. Erasmus Rot. in paraphrasi sua Paulum ita loquentem facit: *Et mihi vsu venit, ut quod prius videbatur absurdum, post compererim & pietatis & religionis esse caput.* Ad v. 18. ibidem paraphrasis verborum Christi vendit in exemplum bonum, inde capiendum: *ut quemadmodum tu nunc subito liberatus ab errore, pro cæco factus es oculus, ita prædicatione veritatis evangelicæ aperias oculos eorum, &c. confer Act. III, 17. 18. 19. 26. V, 31. XIII, 26-30-38.*

Simon Petrus. Luc. IX, 7-9. 18-20-22-27. 44. 62. Et Samaritana ait: *Si noſſes donum illud Dei, & quis ſit ille.* Dicit Samaritana: *video, te prophetam eſſe.* Porro: *ſcio Meſſiam venturum, cum venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Absque vltiore morare ſpondet Chriſtus: *ego ſum, loquens tibi.* Ioh. IV, 10. 22. 26. vt tandem reliqui conciuſes teſtarentur, *ſcire ſe, quod hic eſt vere Saluator mundi Chriſtus.* v. 34. 42. Ille, qui cœcus fuerat a natiuitate, quæſitus a Iudæis, quem eum eſſe reputaret, qui viſum reſtituiſſet, Prophetam illico confeſſus eſt. Ieſus autem confeſſorem non reliquit in ſuſpenſo, ſed ad diſtinctam agnitionem promouit. c. IX. v. 17. 35. 36. 37. Legatur in primis examen illud paſchale. Ioh. XI, 23-26. 27.

Sunt contra paſſim, qui ex inteſtiniſ rixis damnandæ vel ſaltem ſpernendæ veræ doctrinæ occaſionem arripiunt. Atque id etiam Feſtus ſuo tempore voluit, Agrippæ ipſi licet Iudaïſmum profeſſo, ſed Romanis partibus multum obſtricto, paulo liberius dicens, Iudæos quæſtiones quaſdam de ſua ipſorum ſuperſtitione detuliſſe ad ſe, & lites de quodam defuncto. Quam inique & abiectim & aſtute, ſupra vidimus.

Sapiamus inde, ne idem fallax dæmon poteſtatem eandem inter eos tandem accipiat, qui diſcernere diſcernenda renuunt. Act. XIII, 40. 41. 27. ſq. Dignior certe in ſe eſt ipſa Chriſtiana religio, ab apoſtoliſ prædicata, quam vt vix primis labris eam delibare dignemur mortales, imo ne perſtillicidium quidem deſluere inde quid in nos & noſtra patiamur. Eo vero magis opus eſt iugiter recolendiſ ipſiſ illiſ fundamentiſ vitæ ac mortis genuiniſ, hiſ etiam diebus 2. Tim. II, 8. 16-19. Phil. III, 1. 11. quo plures ſunt vbique aberrationum modi. Fugiamus omnes & ſuperſtitionem & *ἀπίſτιαν*. Nobiſ ſeritur, nobiſ metitur. Cogitandum mature de portu, in quem noiſ recipiamuſ in tot tempeſtatibuſ, viuendo & moriendo. Omnia noiſ Chriſti vita docere poteſt. Bonum enim, gratiâ roborari corda. Ebr. XIII, 8. 9. 20. 21.

---

HALAE MAGDEBURGICAE.

Litteriſ CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

1783. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

